SVB

AVSPICATISSIMO REGIMINE

AVGVSTISSIMI, SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI GVILIELMI,

REGIS BORVSSIAE,


MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, S.R.I. ARCHI-CAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, &c. &c. &c.

Patriae Patris, Domini sui longè Clementissimi ac Nutricii Munificentissimi,

Hanc seriem Praelectionum per Semestre aestivum Anno MDCCXXII.

Exhibent

PROFESSORES ACADEMIAE REGIOMONTANAE.



REGIOMONTI,
LITTERIS REVSNERIANIS.

IOHANNES SAMUEL STRIMESIUS, Eloquent. & Histor. Prof. Ordin. h t Acad. RECTOR, *publicis praelectionibus matutinis ordinarius*, quibus, ab hora IX. ad X. *Suetonii Caesarem* explicando absolvit, *pomeridianas binas*, a I. ad II, quavis hebdomade, in *Nova Publica Latina* adjecit; *privatim Conditiones Pacis Nystadiensis*, a IV. ad V, Historicis & Geographicis annotationibus illustrare aggressus est; utrumque laborem, quantum per publica negotia licebit, non tantum continuaturus, sed & in *privatissima institutione Latini eloquii* sedulo perrecturus.

HENRICUS LYSIUS, D. & S. Theol. Prof. Prim. per elapsum semestre spatium dicta classica exegetice absolvit, per instans semestre spatium eadem methodo epistolam ad Romanos ex desiderio Auditorum explicabit, intermixtis interdum disputationibus, de materiis occurrentibus in Lectionibus.

CHRISTIANUS MASECOVIUS, S. Theol. D. & Prof. Ord. Secund. per sem. præt. *Instruct. Minist. Eccles.* ad finem perduxit, & in hujus locum Lectiones publ. *super Evang. Matthæi* introduxit, in quibus prænotata *Historica* varia, contra Divinitatis ejus hostes directa, absolvit. Continuabit B. C. D. desideranda sedulitate ipsam Textûs explicationem h. consv. à IX. ad X. *Observationes super Pseudo-Titii Tractatum* uti hactenus indefessè Audit. in calam. dictavit, dictatas explicuit: ita easdem planè absolvere vel ante exspirationem hujus semestris, in animum induxit. Disputationibus *de disp. ex L. N. ad Supernat.* decem alias adjecit, usque ad Num. XL., omnem navaturus operam, quâ totum opusculum in Sem. præsenti, quod ex L. disp. consistet, absolvat. Neque deerit iis, qui materiam *de Curios. Theol. vana & periculosa* continuare desiderant.

CHRISTIANUS SAHMIUS, S. S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordinar. Tert. In Decade tertia Controversiarum a Socinianis motarum, versatur, & nunc quidem occupatus est in refutandis argumentis adversariorum, quibus impugnant Christum esse summum & verum DEum. Operam dabit, ut postremas controversias per hoc semestre. D. A. absolvat. Disputationes etiam adjiciet.

IO. IACOBUS QUANDT, S. Th. D. & Prof. Ord. Quartus. quae praeterito semestri promiserat, fato praepeditus, perficere non potuit; omni tamen nisu id aget, ut ea, quae in controversiis sacris, inque Theologia fundamentali restant, brevi absolvantur.

HENRICUS Liedert/ S. Th. D. & P. P. h. t. DECANUS. In Königii Theologia positiva acroamatica occupatus erit.

JOHANNES BEHM, S. Theol. D. & Prof Extraord. in Lectionibus publicis promissis stetit ac per instans semestre constituta hora III. disputando Auditores exercebit. Privatim absolutis iis, quæ è Theologia Thetico-Polemica, item Homiletica restant, Collegium Exegeticum auspicabitur: privatissimas etiam sedulo continuaturus.

CHRISTOPHORUS Langhansen/ S. Theol. D. & P. P. quæ in Collegio morali restant, juvante DEo, absolvet.

DAVID VOGEL, S. Th. D. & P. P. Pædiam theologicam publicè continuabit. Et quum in Rhetoricâ S. privatim explicanda in Methodos concionandi *Heroicam*, *Paraphrasticam* ac viginti plures quas D. Johannes Forsterus commendat, inquisivit, ad *Analyticam* seu directam & *Syntheticam* seu Indirectam singulas reducens jam absolutâ θεωρίᾳ praxin continuam institnet.

JOHANNES Stein/ U. J. D. & Prof. Primar. præterito semestri collegium ad institutiones publicum per DEI gratiam absolvit. Nunc Ludovici doctrinam Pandectarum aggredietur, diem, qua hoc collegium ordietur, è tabula publica propediem indicaturus.

JOHANN. Amsel/ D. Prof. Jur. Ord. Sec. publice *Imperialium Institutionum textum* in gratiam eorum, qui prima eaque solida addiscere cupiunt juris fundamenta, *hora secunda pomeridiana* interpretabitur, omnia brevi ac simplici viâ traditurus. Privatim *Collegium Practicum* formam *judicii*, tum *Civilis*, tum *Criminalis*, exhibens auspicabitur, non defuturus illis, qui præterea vel in *Disputatorii* vel in *juris feudalis*, vel *Pandectarum* Collegio, aut in alia juris parte explicanda operam ejus & manuductionem, etiam *privatissimam*, cum horæ vacent, sollicitaverint.

ZACHARIAS HESSE, J. U. D. & P. P. prælectiones ad Hoppii examen J. J. absolvet, & jus feudale commentabitur.

BALTHASAR TILESIUS, J. U. D. & P. P. h. t. DECANUS, lectiones suas ad Pfeifferi clavem Univ. Jurispr. in qua Jus Feudale absolvit, adque Ludovici Doctrinam Pandectarum, quam usque Librum XII. explicuit, sedulò prosequetur, requisitum non minus ad Institutiones Collegium quàm proximè inchoaturus.

CONRADUS Stein/ J. U. D. & P. P. Lectionibus suis publicis finitis, Collegium ad Jus Prutenicum aggredietur.

THEODORUS Boltz/ U. J. D. & Prof. Publ. materiam successionum ex Institutionibus præeunte Hoppiô docebit.

DANIEL NICOLAI, U. J. D. & Prof. Publ. in Cursu Juris, ad finem perductis Lectionibus Hoppianis, Collegium Pandectarum auspicabitur.

REINHOLDUS FRIDERICUS SAHME, J U. D. & Prof. Publ. in laboribus suis perget; & propediem Collegium privatum in Jura patria Regni hujus b. c. d. auspicabitur.

GEORGIUS Schultz/ U. J. D. & P. P. *Publicè Val. Andreæ Desselii Erotemata Juris Canonici* per instans semestre diebus Mercurii & Saturni uberiori discursu explanabit commentitia Canonistarum dogmata eâ, quâ fieri poterit, brevitate explosurus. Privatim consuetas prælectiones sedulò continuabit.

GEOR-

GEORGIUS CHRISTOPHORUS GRUBE, U. J. D. & P. P. per instans semestre æstivum absolvendis finem imponet & DEo juvante ad alia progredietur.

JO. GOTTLIEB OLEARIUS, J. U. D. & P. P. Lectiones præterito semestri inchoatas, sedulò continuabit, iisque finitis novas auspicabitur.

JOH. ALBERT. STEPHANI, D & P. P. Lectiones Juris canonici publicas, & Pandectarum jurisque naturalis privatissimas, in quibus hactenus occupatus, ante & post meridiem sedulus continuabit, disputationibus quoque publicis Generosos & Nobiliss. Commilitones hoc semestri exercebit.

PHILIPPUS RICHARDUS SCHROEDERUS, U. J. D. & P. P. Prælectiones Pandectarum publicas Mercurii & Sabbathi diebus hora 2da in Auditorio Juridico continuabit. Privatim, cursum, quem vocant, Juris Universi, ubi Auditorum numerus completus fuerit, instituet. Privatissime enodatis Desselii Erotematibus Jur. Canon., ad Jus Feudale pedem promovebit.

GEORGIUS RAST, Med. D. Profess. Primarius, Facultatis suæ Senior, & h. t. DECANUS, Collegium Pharmaceuticum publice inchoabit, idque hoc semestri etiam ut absolvat, sedulam operam navabit.

GEORGIUS EMMERICH, Med. D. & Prof. Ord. Sec. Physiologiam Medicam, si Auditores adfuerint, hoc semestri tractabit.

MELCHIOR PHILIPPUS Hartmann/ Med. D. & Prof. Ord. Tert. publicis prælectionibus non tantum herbarum officinalium notas characteristicas, sed & earundem efficaciam in Medicina hocce semestri æstivo sedulò exponet.

CHRISTIANUS LUDOVICUS CHARISIUS, Med. D. & Prof. Ordin Quartus. *Publicè* prælectiones huc usque in Chimiam traditas diebus horisque Solitis in AUDITORIO MEDICO sedulo continuabit, hisque absolutis, indefesso labore in gratiam Auditorum suorum alia tractabit. *Privatim* & *privatissime* constantissime profiteri perget; omnemque suam opellam Medicinam audire volentibus offert.

HENRICUS von SANDEN, Med. D. & P. P. Extraord. Facultatis Medicæ Adjunctus publice in doctrina formularum medicamentorum præscribendarum Auditores suos exercebit hora X. ante meridiem, privatim v. Deventeri artem obstetricandi hora IX. matutina ulterius explicabit.

JOHANNES FRIDERICUS STARCKE, Med. D. P P., ut & S. R. M in Prussia Aulæ Medicus, publicè Auditoribus suis præcognita quædam in Rem Herbariam præleget, privatissimè verò ad omnium officia se promptum, paratumque sistet.

CHRISTIANUS FRIDERICUS RAST, Med. D. P. P. Extraord. *Publice* diebus Mercurii & Saturni, ea, quæ ante annum in Botanologia absolvere non potuit, per hoc semestre æstivum ad finem perducere studebit; *Privatim* vero Collegium casuale finire annitetur, Pathologiamque una cum Semiologia ad ductum Nenteri succincte enodabit.

HENRICUS REINHOLDUS WEGER, Med. Doct. & Profess. Publ. Quæ præterlapso semestri in lectionibus meis tractare promiseram, feliciter absolvi: Nunc publice *de diæta literatorum* profiteri animus est, privatim vero *ad specialissimorum casuum practicorum dijudicationes, thematumque medicorum elaborationes ostendendas & corrigendas* progressum instituam, illis cœterum qui studio medico se dicare cogitant compendiosissimam simulque fructuosissimam methodum in universo hoc campo decurrendo monstraturus, *collegium* vero *medico legale* pro lubitu auditorum exorsurus.

CHRISTOPHORUS DANIEL MELTZER, Med. D. P. P. extraord. per instans semestre æstivum publicè diebus ☿ & ♄ ab hora 7. ad 8. matutinam Samuelis Dale Materiam medicam explicabit; privatim vero Lectionibus physicis, anatomicis, physiologicis & patologicis absolutis, Semeoticam ad ductum Doctoris Nenteri & Chymiam cum suis Encheiresibus per binas horas quotidie sedulo tradet; neminique ulterius in addiscenda Medicina operam denegabit.

GEORGIUS THEGEN, Phil. Pract. P. P. Ord. Academiæ Senior & DECANUS Facult. Philosoph. publicè Politicæ præcepta legendo & disputando pertractabit; privatim tùm J. N. & G., tùm Respubl. Speciales, pro Auditorum desiderio, explicare paratus erit.

HENRICUS von SANDEN, D Physic. Prof. Ordinar. Lectiones Physicas *theoreticas* ex Verdries Physica recentiori, *experimentales* v. juxta Teichmeyerum methodo consueta hora X. matutina sedulo continuabit.

JOHANNES BERNHARDUS Hahn/ Phil. & S. Theol. D. Linguar. Oriental. Prof. Publ. Ordinar. *Publice* in evolutione DEUTERONOMII hora VIII.; *Privatim* in enodatione JESAIÆ hora IX. perendie b. c. D. perget. Bina quoque Collegia nova, *Ebraicum* scilicet *fundamentale* juxta methodum WASMUTHI, & *Exegetico-Biblicum* in Dicta Classica Ebr. Vet. Test. Locos Theologicos probantia, ad ductum GIRBERTI, si Auditorum sufficiens fuerit numerus, inchoare paratus est. *Privatissime* Linguam *Syriacam* & *Arabicam* docebit, cras hora III. pomerid. initium facturus.

JOHANNES VALENTINUS PIETSCH, Phil. & Med. Doctor Poes. Professor Ordinar. Sacr. Reg. Majest. in Borussia Consiliarius Aulicus & Archiater, Provinciarum Regni Physicus Primarius. Quinti Horatii Flacci Carminum libros ac Lyrici Poematis Majestatem auditoribus explicaturus est.

CHRISTOPHORUS Langhansen/ D. Mathem. Prof. Ordin. Coll. Insp. absoluta præterito semestri Geometria, Trigonometria, Mechanica & Hydrostatica, in cursu mathematico horis locoque solitis sedulo perget. Alumnos Regios in disputando exercebit.

JO.

JO. JAC. ROHDE, Log. ac Metaph. Prof. Ord. PUBLICE per elapsam hyemen, de *arte Disputandi*, *Axiomatibus* & *Distinctionibus Philosophorum* præcipuis doctrinam exemplis illustratam, & proposuit, & XIII. adhæc *disputandi exercitia*, thesibus e Nat. Theol. depromptis, instituit. Hoc semestri PUBLICE, CONTROVERSIAS LOGICAS, non futiles, non antiquitate exosas, sed recentiores & inter summi nominis Viros agitatas, qua thesin ac Antithesin enumerabit, ac de dictis minimum *unam quavis septimana disputationem* habebit. PRIVATIM LOGICAM, METAPHYSICAM ac ELOQUENTIAM, præmissa stili purioris ratione, docebit, non intermissurus nobile *Historiæ Philosoph.* studium, sint saltem qui hæc audiendi & animo imbibendi cupiditate flagrant.

JOHANNES BEHM, D. Græc. Ling. Prof. Ordin. Lectiones publicas hora II. pomerid. debita diligentia continuabit. Privatim Collegium græcum fundamentale aperiet.

CHRISTIANUS GABRIEL Fischer/ Prof. Phys. Extraord. per æstatem D. v. *publice* die ♄ & ☿ à 9. ad 10. præcipua Physicæ Theoreticæ capita *de Deo anima & mundo ex Wolffii* sic dicta *metaphysica* enarrabit, *privatim Collegio Curioso* cui crastinus Conventus horam definiet, nova methodo experimenta sistet, quibus *perpetuum Partium Universi æquilibrium ex fluidorum firmorumque motu absque obscuris occultorum agentium suppositis ad oculum ostenditur*, *Atheorum & Naturalistarum stultitia refellitur*, *vera Theologia naturalis consolidatur*, insimulque via sternitur ad lectiones *de Oeconomia Prussica tam rustica qnam civili per experientiam Physicam sublevanda*, quas DEo sospitante auditoribus applausuris sequenti hieme proponere meditatur.

HEINRICUS OELMANNUS, A. M. & Phil. Prof. Publ. in PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS, *die Mercurii*, *hora I. pom.*, DN. THOMASII Einleitung zur Hoff-*Philosophie*, & DN. PUFENDORFII *L. II. de Off. H & C.*, explicuit, & *die Sabbathi* potissimas ex iis Controversias in *XII. Disputationibus*, publico in loco habitis, discussioni submisit; per *instans* autem *semestre*, volente DEo, *Qnaternionem Controversiarum novissimarum philosophicarum*, quavis septimana, ventilandum proponet, quem suppeditabunt Celeb. Wolfii Vernünfftige Gedancken (α) von den Kräfften des Menschlichen Verstandes &c. (β) Von der Menschen Thun und Lassen zu Beförderung ihrer Glückseeligkeit. (γ) Von dem Gesellschafftlichen Leben der Menschen / zur Beförderung der Glückseeligkeit des Menschlichen Geschlechts. (δ) Von GOtt / der Welt / und der Seele des Menschen &c. PRIVATIM *Collegia philosophica præterito semestri intimata*, una cum *Collegio Oratorio-Sacro*, absolvit; *hoc* autem *semestri*, CURSUM PHILOSOPHICUM exordietur, & VETERUM ac RECENTIORUM PHILOSOPHORUM inventa ac placita extantiora rimabitur, OMNES secuturus & NULLOS, sicque sanioris & solidioris Philosophiæ Cultores ad *veram Philosophiam Eclecticam* manuducturus.

M. THOM. BURCKHARDUS, Profess. Poës. Publ. elaborationibus poeticis lectiones publicas denuo impendet; Privata quoque collegia utpote Dialectico-Analyticum, Styli Romani, Oratorium, & Poëticum Teutonicum propediem B. C. D. rursus inchoaturus.

JOHANNES ADAMUS GREGOROVIUS, Phil. & J. U. D. P. P. Juris Nat. & Gent. absolvit præterito semestri, bina quæ promiserat regna, *Galliæ & Magnæ Britanniæ*: præsente jam semestri, regnum *Daniæ* pariter ac *Norvegiæ*, observationibus *Historico-Politicis*, hora consueta pomeridiana tertia, publice illustrabit. Privatos interim labores, in commodum concreditæ sibi juventutis, sedulò continuaturus.

ABR. WOLFIUS, P. P. Extr. *publice* hora X. perget in *libro Psalmorum* explicando; *privatim* absolvet *Esaiam*: *privatissime* Hebraica, Stilum & Philosophica docebit.

GE. HENRICUS RASTIUS, A. M. Mathem. Prof. Extraord. Societ. Berol. Scient. Collega post traditam publicis lectionibus Horographiam trigonometricam, proxima ☿ die h. 9. Prælectionum Algebraicarum initium faciet: in privatissimis Collegiis Mechanicas Opticasque scientias explicavit, & nunc partim in Architectonicis, partim in Astronomicis disciplinis occupabitur: instituet quoque Cursum Mathematicum integrum, Studiosorum utilitate accommodatissimum, quem uno anno, binas quotidie horas ipsi impendens, absolvat: denique in Philosophicis etiam ad Logicam docendam, si auditores studium excitaverint, animum applicaturus est.

JOANNES ARNDIUS, Eloqu. & Hist. Prof. duodecim priora *Panegyrici Pliniani* capita, Politicis, Historicis & Philologicis observationibus, publice absolvit, eodemque modo perget ad reliqua. Privatim, *artem ratiocinandi* tradidit, eo consilio, ut in JO. CLERICI *opera Philosophica*, lectores induceret. In *Collegio Progymnasmatico*, Oratorem Latinum, ab incunabulis instituere & perficere laborat, argumenta dicendi scribendique repetens ex *Ciceronis Orationibus*, *a Cellario selectis*, atque ex *Epistolis & Panegyrico Plinii*. Doctrinam *Collegii Astrognostici*, typis expressam, frequenti auditorio atque cælestibus intento, explicationibus persequitur ac observationibus; hisque finitis, meteorologiam, hydrographiam & geographiam generalem, per omnem globi nostri terr-aqu-aërii naturam, auribus oculisque exhibiturus. Cum domesticis suis, ea privatissime tractat studia, quæ illustri loco natis digna. Ceterum, liberalior erit præstando, quam promittendo.

CHRISTIANUS HENRICUS GüTTHER, Gr. L. Prof. extraord. Design. habitis duabus disputationibus, una pro receptione, altera, qua spartam a S. R. M. gratiosissime sibi collatam auspicabitur, lectiones pro more publice habendas de tabula intimabit. Privatim postulanti auditorum diligentiæ & in philologicis, & historicis & literariis succurret.